

dici numerus & multe terre ob hoc fuerunt destructure posquam uero de hoc diximus dimitemus de ipso. & de alijs rebus narabimus. Et de eadem prouincia Abas. Noueritis ergo quod prouincia ista ditissima est. & in omnibus uictualibus multum habundans viuunt enim de riso frumento lacte carnibus. & suximani. habent Elephantes. set ibi pauci nascuntur. Et illuc de multis partibus Jndie adducuntur. giraffe uero nascuntur ibi. & de ipsis habent in magna quantitate. leones leopardos lonças. & alias bestias multas habent diuersas a bestijs nostre contrate. Asini siluestres ibi multi nascuntur. Aues habent de multis maneriebus diuersis a nostris. habent struços magnos qui non sunt quasi minores asinis. Multe alie diuersitates ibi sunt etiam quas non dicemus. quoniam nimis esset longa materia. set magnam habundanciam uenationum & aucupationum habent. & papagalos multos & symios de pluribus maneriebus. Et habent gatos mamones ita diuersos quod quasi uidentur habere uultus humanos. In hac prouincia abas multe sunt ciuitates & castra & multi mercatores ibi sunt qui de mercimonij uiuunt. ibi fiunt multi pulcri drapi de bombice & de bucherano alia etiam multa sunt ibi. set dicenda non sunt in libro. & ideo iulterius| procedentes nara- 103^r bimus de nobili et magna prouincia Aden :/ Hic incipit tractare de continentijs & esse magne prouincie Aden :—

Postquam diximus de esse prouincie/ Abbas admodo tractabimus de prouincia Aden. Noueritis itaque quod in hac prouincia. Aden est quidam dominus hic regnat soldanus & habitant cometi legem obseruantes & multum odiunt christianos . qui nominatur soldanus de Aden. & omnes de ista prouincia sunt saraceni qui macometi legem obseruant. & multum odiunt xpistianos. In ea sunt multe ciuitates & castra In ista prouincia Aden est portus ad quem omnes naues mercatorum Jndye cum mercimonij suis applicant. Et in isto portu mercatores ponunt mercimonia sua in alijs paruis nauibus que per quoddam flumen ducuntur circa vij dietas. & in capite vij dietarum mercatores mercimonia sua extrahunt de nauibus & de ipsis onerant camelos & portant ipsa per terram circa xxx dietas. Et in capite xxx dietarum inuenitur flumen alexandrie quod uocatur Nil. per quod flumen feruntur leuiter usque in alexandriam. Et per hunc modum & uiam Saraceni de alexandria habent piper & alias species & cara mercimonia. & per aliam uiam que sit ita bona & curta non posunt in alexandriam pergere. Et ab isto portu Aden uadunt mercatores cum nauibus & mercimonij suis per Jnsulas Jndye. portant & mercatores ab isto portu in Jndyam multos bonos equos & sonipedes arabes| de 103^v quibus mercatores multum consecuntur lucrum & profectum. quia mercatores multo uendunt ipsis Et soldanus Aden habet magnam rectitudinem a mercatoribus qui in suam terram cum nauibus uenient. & propter magnam rectitudinem quam percipit a mercatoribus uenientibus ad terram suam ditissimus est thesauro. Et iste soldanus unum fecit quod redundauit ad dapnum maximum xpistianis. Nam vnum fecit quod redundauit ad dapnum maximum xpistianis.